

QUAESTIO II.

Quare Dominus tam rigide damnet, tuba canere ad dandam eleemosynam?

In hac re, quid sit tuba canere, duplex est principalis sententia. Prima tenet, quod tubarum usus erat apud Judaeos vulgaris valde. Et ita apud eos hypocritae tuba convocabant pauperes ad loca publica, ut ad Synagogas, & plateas. Et licet ipsi dicerent, quod hoc edebant ad omnes congregandos, ne ex ignorantia aliquis ab eleemosyna remaneret exclusus, erat tamen eorum intentio, ut omnes, quasi ad spectaculum confluerent, scirentque quisnam esset eleemosynas largiturus. Ita docent D. Paschasius lib. 4. in Matth. Strabus, Rupertus, D. Anselmus, Lyranus, Cajet. Jansenius, & faver Glossa, ubi ait, quod forsitan hoc fiebat, ut omnes irent, quasi ad spectaculum. Et ita hic Dominus depravatam hanc damnat consuetudinem, in qua ob inanem gloriam, hominumque applausus dabatur eleemosyna. Et haec sunt satis probabilia.

Paschas. Strabus. Rupert. Anselm. Lyran. Cajetan. Jansenius. Glossa.

14. Probabilior explicatio.

Joel. 2.

Interlineal. Chrysof. Euthym. Theophyl. Abulen. August.

15. Eleemosyna ubique praestanda recta intentione. Chrysofolog.

16. Idem.

Eleemosyna, qua publicatur, est hostilis est.

quam ipse dicit, se non alteri daturum, Isaia. 48. num. 11. creaturae vult deferre, ac impendere, canere ad popularem auram dirigere, ac ordinare. Hostilis est ipsimet operanti, quia cum ipse exhibeat opus, a suo premio spoliatur, ac defraudatur. Hostilis etiam proximo, quia eum rubore, ac verecundia afficit. Da ergo secretum, ut quod dederis non sit oneris, sed honoris.

Optime calluit hoc ingenium Booz; non enim jubet Ruth dare spicas; sed suis messoribus ait: De vestris quoque manipulis proficite de mansura, & remanere permittite, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat, Ruth. 2. Eleemosyna ne sit cum pauperum verecundia. Aelredus. Booz cum Ruth Moabitibus advenisset inopiam, verecundia ejus ingenie parcens, jubet messoribus etiam de industria spicas relinquere, quae illa absque pudore colligeret.

Venerunt duo Angeli Sodam. Quos cum vidisset Lot, surrexit, & iit obviam eis, & adoravit pronus in terram, & dixit: Obsecro, Domine, declinate in domum pueri vestri, Genes. 19. num. 1. Cum eos vidisset, & statim ad illos cucurrit, se exhibita servum dicit, hoc enim significat puer, in domum occultanda pueri vestri; & se servum, ac inferiorem gestu corporis exhibet, dum se pronus inclinat in terram. Clementis viri magnum ingenium, eos non solum ad hospitium invitat, verum etiam beneficium, quod tanquam Dominus exhibebat, servi nomine, ac notis occultat, atque abscondit, ne aliquo verecundarentur rubore, si ad domum declinarent illius, qui in omnibus se eis minorem exhibebat, ac inferiorem declarabat. Quod notans Chrysofostomus homil. 47. in Genes. ait: Illos dominos vocat, & se ipsum servum vocat: audiamus haec verba, & discamus. Gloriosus nobilitatem abundans, tantus pater familias viatores hospites ignotos, & ut apparebant, viles, & nihil ad se attinentes, dominos nominat; & inquit: Diverse in domum pueri vestri. Hanc gratiam donate mihi, & petitionem meam ne frustrerini. Dum enim ostendit, se gratiam excipere, beneficium abscondit, & ruborem ab illorum facie summovet, ac excludit.

Matth. 6. n. 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.

Numer. 4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

VERSIONES.

Graecus n. 3. Ne permittas, ut sciat dextera.

Syriacus n. 4. Pater, qui videt in abscondito ipse responderet tibi in propatulo.

Pagninus. Reddet tibi in manifesto.

EXPO

EXPOSITIO.

19.

Cajetan.

Chrysof. Eleemosyna abscondenda.

Magna cautela in eleemosyna abscondenda.

20. Idem.

Syriac. Graecus. August.

Luc. 14.

Primus Dominus suos popularem inanem gloriam auram vitare docuit: & quia in laudatis eleemosynis animos maxime periclitatur; in his, ut notat Cajetanus, maximam jubet adhibere cautelam: Nesciat sinistra tua. Est quaedam figurata locutio, ut docet Chrysofostomus. Hyperbolica, & parabolica, Syrorum more, qua significatur, quod eleemosyna secretissima sit omnique ostentationis experta, ut eam, non solum a proximis nostris, sed etiam a nobismetipsis, quantum fieri potest, abscondamus & occultemus, nec eam duntius in utraque manu versantes contemplerur, ne illicio vanitatis capiamur. Et non dixit: Quod facit dextera tua, nescia sinistra; sed e contra prius nominat sinistram, cum sit ignobilior, Dextera; qua eleemosyna datur, bonum, & pium denotat opus. Sinistra autem, quae dicitur, ut nesciat, denotat complacentiam, ac manifestationem ipsius, quod Dominus ita secretum, & absconditum esse vult, ut prius nobis occultationis commendet cautelam, quam exhibitionis ipsius operibus largitatem.

Ut sit eleemosyna tua in abscondito; Hypocritae ad hominum applausum obtinendos, suas coram omnibus eleemosynas exhibent, & suam ita perdunt mercedem. Pater tuus videt, & ita apud eum mercedem lucraris. Ecce, ait D. Chrysofostomus homil. 19. Quid desideras, nonne habere aliquos tuorum operum spectatores? Ecce igitur habes, non Angelos, non Archangelos tantum, sed etiam horum omnium Deum. Ultima verba praesentis textus, Reddet tibi, Syriacus, Graecus, sicut & D. Augustinus, Reddet tibi in propatulo, seu manifeste. Quod tamen in nostris codicibus, nostraque vulgata non habetur; illud tamen addit in codicibus Graecis, Explicat D. Lucas cap. 14. num. 14. In manifesto, hoc est, in resurrectione, seu in die iudicii; quia tunc Christus Dominus tuam eleemosynam coram Angelis, & hominibus propalabit, ac aeterna gloria praemiabit.

QUAESTIO III.

Quare dicatur, quod in dandis eleemosynis nesciat sinistra, quid facit dextera?

21. Gallican. Difficultas quaestiois.

Paschas.

Recte ait Eusebius Gallicanus homil. in feria 6. post. Cin. Si enim manus nostras in his intelligere velimus, nescio, quomodo unius opera altera intelligat; non enim in manibus, sed in mente intellectus. Et etiam, ut plene differat D. Paschasius lib. 4. in Matth. dirigens totum hoc negotium ad animam, quae totum corpus informat, ait: Quis unquam dixerit, quod anima, qua tota, atque in omni loco corporis est; posse non sentire sinistra manu, quod agatur in dextera? nam sicut compatitur omnia membra, si patitur unum membrum: ita sentiunt omnia per vivificantem animam. Anima enim qua est in omnibus membris, non minus scit in sinistra, quid agatur in dextera, quam quid in toto; quia ubique adest tota, & ideo scit, ac sentit omnia. Et tandem,

ut ait Eusebius citatus, cur dextera opus suum sinistra absconderet, quae tam confors ei est, tanque fideliter ei in omnibus auxiliatur. Ideo hic sublimis sensus est inquirendus.

Prima, & germana solutio est, ut dixi in expositione, hanc locutionem esse metaphoricam, ac figurativam, ad exprimendum, quod res oculis fiat nosque in eleemosynis a testibus, ac intuitibus ita caveamus, ut si sinistra oculos haberet, videre non posset, quid boni in hoc negotio dextera faciat. Ita docet D. Chrysofostomus, Theophylactus, Euthymius, Abulenensis, q. 21. D. Paschasius citato loco. Qui ait, hoc ita esse per figuram dictum, sicut illud c. 5. n. 39. Si oculus tuus scandalizet te, erue eum. Alios ad sensus non inutiles ad mores, deveniamus.

Secundo. Theophylactus Patriarcha hic per dexteram manum intelligit populam Christianam, & fidelem; per sinistram vero infideles; ne forte inde sumant occasionem insurgendi contra nos. Merito tamen D. August. lib. 2. de serm. Dom. in monte, hanc expositionem rejicit; quia, si opus sit bona intentione, ob exemplum, tam coram fidelibus, quam infidelibus exhibere debemus, 1. Petri. 2. n. 12. Conversionem vestram in eos gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis, tanquam malefactoribus, ex bonis operibus vos confido aures glorificem Dei.

Tertio sunt aliqui, ut refert citatus D. Augustinus, qui dicunt, quod per sinistram intelligitur uxor; nam uxores sunt tenaciores; & viri non debent, scientibus illis, eleemosynas facere, ne liti domesticae detur occasio. Sed irridenda est haec expositio; ait D. Augustinus, quia vir debet bonis operis exemplum uxori praestare, non vero opera bona sua occultare ab illa.

Quarto. D. Ambrosius lib. 1. Officior. cap. 30. Nesciat, ait, sinistra tua, quid facit dextera tua: non de corpore loquitur, sed etiam unanimes tuus, frater tuus, quod facis, nesciat. Et quamvis, secundum rei veritatem, omnibus sit boni operis exemplum praebendum, ut supra dixi; tamen secundum D. Ambrosij mentem, optima est ad mores instructio. Cur Dominus in eleemosyna largienda non ab extraneis, ac inimicis, sed ab amicis praecavere jubet? ob vanam gloriam, tam apud hos, quam apud illos explicari potest. Sed ad hoc dicendum, quod apud illos omnes non imminet aequale periculum; nam solus amicus ac benevolus tua egregia facta videt, & cognoscit, ut ea laudet, & celebret; quae inimicus, ac male affectus nunquam percipit, & intelligit ideo non apud hos, sed illos, a quibus laudari poteris, tibi inanis gloriae occasio insurgere valet. Vide supra c. 8. n. 25. & lib. 2. c. 6. n. 60. & 1. 3. c. 3. n. 6. & 7. Vel aliter dic, Optime agnovit divinus Magister, quod contra nostra bona opera ab amicis, consanguineisque nostris impedimenta multa moventur, atque excitantur, ab eis ergo monet esse cavendum, quia ad bona opera non praestant auxilium, sed impedimentum. Et hoc saepe faciunt livore invidiae, quae domesticos maxime tangit; vel aliquando ambitione, quia in se omnia bona tua coarctari volunt, & in alios derivari minime patiuntur.

A solo amico laudari.

Quinto. Galfrid. citatus a Tilmanno in allegoriis. Quid est, ait, nesciat sinistra tua, quid facit dextera tua, nisi propterea quod non vacet ipsa? multi enim sum, qui peccata sua eleemosynis redimunt, & propterea beneficia, qua impendunt, aspiciunt.

26. Galkrid.



ra sustinere refugium; si ergo quia eleemosynam dextera facit, sinistra vacat abstinentia, novis, & bene attendit sinistra, quid faciat dextera. Ne sit homo contentus uno virtutis partu, sed multis rectis actionibus, ac eleemosynis applicetur: dextera opus misericordiae obivit, ne quiescat sinistra, nec vacua maneat, sed extendatur ad aliud, ac si penitus ignoret, quid sit à dextera gestum; ut ita omnibus suis membris, omnibusque suis factis; totus homo pietatis operibus impen- sus sit, ac resolutus.

27. Laur. Novar. Sexto, D. Laurentius Novariensis homil. de eleemosyna. Quando, ait, bonum aliquid conatur facere dextera, id est, anima, non illam impediatur sinistra; quia est caro; sed tanquam dormiens sinistra, festinet dextera; furivo more operari bonum, & expellere malum de membris, quod dicitur sinistram. Intelligit per dexteram animam, seu ejus portio- nem superiorem, per sinistram verò appetitum carnis. Vult S. Pater, quod homo fortis sit, & expeditus, ne in operibus pietatis salutare animæ exercitationes impediatur à carne. Ne languet animo, nec perplexus homo inhæreat, ut eleemo- syna impediti valeat; sed celeriter, & expeditè, ac veluti sagaci furto quoddam exhibeat factum, ac si appetitus ipse sinistè dormiens totum ignoret, ut cum insurserit caro, iam sint in vanum conatus ejus omnes, illudque malum facile expellatur à membris.

28. August. Alb. Magd. S. Thom. Septimo, S. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte. Albertus Magnus, S. Thomas, cujus appono verba. Per sinistram intentio perversa designatur vana laudis, per dexteram intentio sancta implendi præcepta Dei. Nesciat sinistra tua: non se immisceat perversa intentio laudis, vel inopia laetitiae, vel elationis, quid facit dextera tua, cum præcepta Dei implere contendis. Per dexteram intelligunt rectam virtutis intentionem: per sinistram verò, elationem, & vanam gloriam. Tu ergo dexterum pietatis opus ita tacitus facias, ut sinistra laudis, & vanæ gloriæ intentio totum in te ignoret, & nesciat, ne publicare valeat. Sua eloquentia, ait Chrysologus serm. 27. Ergo ut opus est dextera; quod facit tacitus dator; quod facit dator garrulus, hypocritis est sinistra. Et etiam in hanc sententiam, præteritum locum interpretantur D. Chrysostr. homil. 8. ex variis in Matth. & Eusebius Emisissenus citatus. Cur Dominus in Evangelio justos à dextris, peccatores verò à sinistris collocandos declaret; quid quod dextera rectitudinis operatur, sinistra vanitatis, ac elationis nesciat.

Chrysol. Chrysostr. 29. Clem. Alex. Octavo, Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum. Si eleemosynam facis, nemo sciat; sed neque ipse, qui miseretur, debet scire, se misereri: sic enim erit aliquando quidem misericors, aliquando verò non. Ingeniosè quidem. Pietatis gestum ad se absconditum, ut à nobismetipsis occultemus Sed quomodo mandat Dominus ita occultare mirabile misericordiae factum, ut illud nesciamus, cum inscientia, & ignorantia nullum esse possit laudabile, ac meritorium opus? Quomodo ergo nesciat sinistra tua? Rectè sanè ad meritum. Nesciat se misereri, sic enim erit aliquando misericors, aliquando non. Homo scientiam habeat ad amplectendam misericordiae rectitudinem, ut ipsam valeat exhibere; & sic aliquando, hoc est, ex parte, erit misericors. At in sua estimatione non se appetitur, ut misericors; & sic aliquando

non: hoc est, in reputatione sua non se judicet misericordem, ut inde sibi complacet, ac evanescat. Et ista conscientia, seu bonitatis cautela plenam facit misericordiam, integram, & incolumem servat justitiam. Cum justii audiunt, quod Christum Dominum paverint: Esurivi, & dedistis mihi manducare; sitiivi, & dedistis mihi bibere; respondet ad hæc: Domine, quando te vidimus esurientem, & sitientem? Matth. 25. num. 37. Sed quomodo electi, magna scientia condecorati, ac expoliti hæc dicunt? Nōne in Ecclesia Christi illud est omnibus notum: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; & illud vulgare Augustini: Quod pauperi dedisti, Christo impendisti; quod pauperi negasti, à Christo subtraxisti. Si Dominus in paupere repræsentatur (& prætermitto Zachæum, locum Petri, & alios, qui Dominum benevole hospitio receperunt) cur ergo dicunt: Quando te vidimus? Illi enim electi ita habebant virtutes suas à propriis oculis, ac estimatione semotas; ita sibi ignotas, & absconditas, ut quando eas audiunt à rectissimo, ac verissimo judice publicari, adhuc eas in se ignorent, nec videant, nec percipiant. Paulus Orosius in Apologia libri arbitrarij. Justii in illa die judicij, ait, operum suorum glorias audientes, adhuc tamen velut ignorantes interrogabunt: Domine, quando te vidimus, & hæc fecimus tibi? Considera verbum, adhuc eas ignorantes.

30. Marth. 25. Jussi suas virtutes ignorant, Orosius. 31. Gen. 28. Jussa signant, ut bona aliis attribuant. Gregor.

Jacob iter agens in Mesopotamiam, cum in quodam loco requiesceret, vidit in somnis, scalam tangentem cælos, Angelos ascendentes, & descendentes, & Dominum innixum scalæ, multa ipsi promittentem, Cùmque evigilasset à somno ait: Ve è Dominus est in loco isto. Gen. 28. num. 17. Quomodo hæc dicit Jacob? quali quod hujusmodi visio ratione loci obvenerit, cum plane totum esset, quod totum ratione dormientes revelatum est. Cur potius non ait: Nunc scio verè, quia Dominus dirigit viam meam, ut dixit servus Abrahami avi sui Genes. 24. n. 7. Cur non ait: Nunc scio verè, quia Dominus me in itinere comitatur, protector meus adeit? Sed fator: Dominus est in loco isto? Magnus, & perfectus Jacob, sanctitate, ac virtute plenus, tantæ viliōnis causam in se nec intelligit, nec penetrat; & ideo ad locum recurrit, & negotium alteri attribuit, atque adscribit: hæc est enim propria perfectorum ac justorum conditio. D. Gregorius lib. 4. in c. 9. primi Reg. Spirituality dona habent, sed in iis, quæ habent, se non attendunt.

Matth. 6. n. 5. Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

VERSIONES.

Syriacus. Cum oras, ne sis sicut acceptiores vultus hypocritæ.

Varablus.

Varablus. Et cum oras, ne imiteris hypocritas, qui assolent in Synagogis, & angulis platearum stantes orare.

Euthymius. Solent in conventiculis, & angulis.

Theophylactus. Amant in conventiculis, & in angulis platearum stantes orare, ut conspiciantur hominibus. Rescipiunt mercedem suam.

re; quia Pharisei, ac Scribæ ob superbiam suam sic frequenter orabant; ipsi enim se cæteris digniores reputabant; vel, ut ita facilius ab omnibus conspicerentur. Vel, ut vult Maldonatus, stantes, hoc loco denotat homines fixos, ac immobiles, quasi animo in cælum raptos, quia tales in plateis Pharisei se fingebant. Amen dico vobis; hoc est, pro certo sciatis. Receperunt mercedem suam, quia voluerunt videri, ait D. Thom. & non exaudiri à me.

QUESTIO IV.

Quare Dominus, dum hypocritas orationes rejicit, de angelis mentionem faciat?

EXPOSITIO.

ORDINATA intentione eleemosynæ cum cautela à vana laude; ordinat simili modo orationis intentionem. Et quamvis facit ex superioribus dictis hæc doctrina sequatur, Attendite, ne justitiam vestram, ut notat D. Augustinus lib. 2. de ser. Dom. in monte, cap. 3. Tamen quæ multum necessaria, sunt multoties repetenda, & intimanda. Ait Dominus, Cum oratis; omnia Græca exemplaria habent in singulari. Cum oras; sicut & sequenti vers. 6. Quia autem nostra vulgata habet in plurali, Cum oratis, ait D. Thomas. Non dixit Cum oras, singulariter, sicut superius: Cum facis oratis; qui omnium est orare; quia ad hoc non exigitur res temporalis, nisi intentio; sed eleemosynam dare, non est omnium. Ita Thomas. Et circa orationem tria hæc docet Dominus. Primum rectam intentionem, Non sicut hypocritæ. Secundò perfectionem orationis ad Patrem. Tertio locum orationis Intra in cubiculum tuam.

Non sicut hypocritæ. Ait Hugo, Hypocritæ foris lucentes, intus scelerentes, ac pleni omni spurcicia. Non sicut illi; hoc est, eos imitemini. Et ipso nomine apud omnes execrabili à vitij imitatione avocatur. Amant, studiosè scilicet affectant. Et rectè, notat D. Chrysostom. non dixit, Orant, sed Amant stantes orare; quia hujusmodi vanitatis venatores revera non orant, sed amant videri, ac si orassent. In Synagogis, & angulis platearum; hoc est, in locis valde publicis. In uno homines ad doctrinam legis conveniebant: in altero, scilicet in plateis, ad humana negotia congregantur.

Stantes orare. Hoc ideo dicit, docent D. Thomas, & Cardinales Hugo, & Cajetanus, & Janfenius; quia Jædeorum mos erat, stando orare; nam stando legem receperunt. Steterunt ad vadicet montis. Exod. 19. n. 19. Et Judæi aliquando stando orabant, ut Publicanus ille, Luc. 18. n. 11. Tamen Judæi quoque sæpe sæpius genu flexo, orabant, ut Salomon in dedicatione templi, 3. Reg. 8. n. 54. & Daniel, 6. n. 10. Michæas cap. 6. n. 6. Curvato genu Deo excelsis. Et ita dixit Dominus ad Eliam, 3. Reg. 19. n. 18. Derelinquam mihi septem mulla vitulum, quorum genua non sunt curvata ante Baal. Et ita etiam habetur Isa. 45. n. 23. & 2. Pa. alip. 19. n. 30. & item Aman genu flexo adorabant omnes, Esther, 3. n. 2. Talis est, dictante natura, frequens modus deprecandi. Dicitur, stantes ora-

PLATEAS hic intelligit Lyranus atria templi: tamen multo accommodatius ad litteram, per angulos platearum hic intelliguntur termini platearum, ubi sunt innoxios viarum; & ibi frequenter sunt bivivia, trivivia ac quadrivivia. Cur ergo de angulis hic Dominus facit mentionem? est præterens questio.

Responder primò Chrysostomus in Imperfecto hom. 13. Christus, ait, non dixit in plateis, sed in angulis platearum, ut ne, si in plateis, oraverint, quasi Religionis simulatores vituperentur: sed in angulis, ut videantur absconditè orare. Alia vanitas: sciunt enim; quia hoc ipsum, absconditè orare, laudabilis est; ideo sinistè se abscondere, ut dupli: e. laudentur; primo, quia orant, secundo, quia absconditè orant. Glossa Ordin. D. Thomas, & alij hunc modum dicendi sequuntur. Ad majorem inanem gloriæ vanitatem in angulis orant, ut videantur absconditè orare, & inde majori laude extollantur.

Secunda, & probabilior solutio est, quod in angulis orabant, ut à pluribus viderentur. Nam in angulo sunt innoxios viarum, platearum compita, bivivia, & trivivia, & ex utraque linea videntur, quia sunt in angulo. Ita docent D. Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte, D. Paschasius lib. 4. Euthymius, Albert. Magnus, Cajetan. Abulensis. Erant enim anguli platearum loca valde communia, & publica. Unde, ut notat i. se Abulensis, Judæi, quando idololatrabant, in angulis platearum ponebant idolorum altaria, & ibi faciebant sacrificia, ut factum fuit tempore Achaz, & aliorum Regum, 2. Paralip. 28. n. 24. Et sibi altaria in universis angulis Jerusalem, & aliis locis apud Abulensem. Unde hypocritæ isti turpitudine loci scædabant suam orationem; quæ Deo erat valde invisæ.

Et alta ordinatione dispositum est, ut hypocritæ in angulis orarent, locus idololatriæ consecratus, ut proxime dictum est. Hypocritis quandam veloti speciem idololatriæ adumbrat. Et ita ait Theophylactus in cap. 18. Luc. n. 10. Quam quis non Deo, sed sibi sua bona opera tribuit, quid est aliud, quam Dei negatio. Ille reputatur idololatra, qui cultum, Deo debitam, creaturæ defert; isti vanitatis olores, orationem, reverentiam, ac submissionem, Deo debitam, suæ famæ, ac nominis deputare volebant; orabant, non ut Deum honorarent; sed ut se ipsos extollerent. Rectè ergo locum eligebant, ubi altaria idolo-

August. Quæ necessaria, multoties repetenda.

D. Thom. Omnium est orare.

Hugo.

Chrysostr. Qui vult in oratione videri, non orat.

D. Thom. Hugo. Cajetan. Janfenius. Exod. 19.

Mich. 6.

3. Reg. 19.

Esther. 3.

Lyranus.

Chrysostr.

Gloss. Ordin. D. Thom.

vera solutio.

August. Paschas. Euthym. Alb. Magd. Cajetan. Abulens.

2. Paral. 28.

Theophyl.

Hypocritæ si veluti idololatriæ.